

1424 bantur. Verum, quacunque de causa eo copiae admotæ sint, bello iis locis conflato, ita evenit, ut procedente tempore Florentini suorum ducum ignavia, vel potius fraude, ut multi crediderunt, non uno prælio victi, post varias clades de libertate retinenda jam cogitare cœpissent. Et quia apparebat, sine externis auxiliis Philippi

1425  
Florentino-  
rum legatio  
ad Venetos.

Venetorum  
legatio ad  
Philippum.

1426

opibus diutius relinqui non posse, ad Venetos, quos ab initio in societatem belli trahere crebris legationibus tentaverant, novissime Laurentium Ridolphum oratorem mittunt, qui eos ad fœdus in Philippum hostem ineundum precibus & hortatione perPELLERET. Quod si minus ea Senatum movissent: *Admoneret identidem Patres, quantum periculi, Florentinorum opibus eversis, Venetis quoque immineret. Nam quod ad eventum præsentis belli attineret, tam diu se adversus acerbissimum hostem libertatem defensores denunciaret, quatenus civibus & fortunis quæ superessent, salvis, id facere contigisset. Interim, si Veneti pergant Philippi successus tam ociose audire, haud quidem expectaturos se, ut castris Florentiam admotis, omnia prius in ultimum discrimen adducantur, quam ad pacem respicere incipiant. Quin ubi ita opus sit factum, daturos se operam, ut vel vectigales facti gravissimo se bello exonerarent: ac tum fore, ut Veneti plane intelligerent, satius fuisse Florentinis sociis in eum, qui omnino futurus erat hostis, quam solos bellum suscepisse.* Ita ille in omnes partes Venetorum animos versare iussus, domo profectus est. Patres vero jam antea Florentinorum precibus fatigati (toto namque biennio id poscere non destiterant) & ipsi ad Philippum sæpius hoc nomine miserant, primo Andream Contarenum & Laurentium Bragadinum, inde Nicolaum Maripetrum: secutus postea Andreas Mocenigus, atque omnium novissime Franciscus Serra, scribarum unus. Omnes cum eo precibus & hortatione agere iussi: *Ut cum Florentinis tandem bellare absisteret, ac positis armis, si qua ab illis injuria profecta esset, eam Veneto nomini remitteret: quanquam non ignorarent, satis superque poenarum ad eam diem, si quid offendissent, Florentinos expendisse: Cæterum*